Badische Landesbibliothek Karlsruhe

Digitale Sammlung der Badischen Landesbibliothek Karlsruhe

Sammlung von Briefen aus dem 16. bis 18. Jahrhundert - K 625

Achenbach, Casimir

[16. Jahrh. - 18. Jahrh.]

Baro Winnenbergicus Guil. Ditzio in Eydickoven, d. d. Feurthalio propre Scaphusium. Cal. Martis

urn:nbn:de:bsz:31-82109

Visual Library

Literas tuas, Venerabilis et erudite Vir, amice chare, una cum
libro de foedere Dei Dn. Bernhardi Textoris piae memoriae,
accepi; Ago tibi gratias pro amica recordatione et misso
dono, libenterq audivi commendatitias meas in itinere tibi
utiles fuisse; Librum modo dictum legam; Caeterum,
licet tecum alijsq in arenam descendere et de nova
vestra opinione multum disputare animus mihi non
sit, cum nec meae professionis, nec haec nostra cala=
mitosa tempora id patiantur; Uti tamen sub dis=
cessum a me, amice et fideliter monui rogaviq, ita
et nunc iterum rogo et moneo, ne afflictissimae Eccle=
siae Christi novum vulnus infligentes, plus afflictio=
num novitatibus vestris addendo, communibus veri=
tatis hostibus gaudium excitetis et calumniandi ma=
teriam novam praebeatis; Quantum enim detri=
menti Ecclesijs et Reipublicae Battavorum inspiae Ar=
minianorum novitates attraxerint, eventus adhuc docet.
Utcunq autem prorsus improbari nequeat, si pater aliqs
familias pro institutione et captu domesticorum suo=
rum quaestiones, modo S. Scripturae conveniant, ana=
notet; hoc tamen tempore hujusmodi spargere, in lucem
edere, in S. libris optime fundatam orthodoxam
methodicamq Palatinam nostram Catecheseon, hac via
suspectam reddere, et humanis viribus humanis justi=
ficationem quocunq modo attribuere, nonsolum tur=
bulentum, verum etiam in afflictissimae Ecclesiae visce=
ra crudele videri dicique posset; Cum longe praesta=
ret fraternam Christianam fovere concordiam et

G. H. HOFBIBLIOTHEK KARLSRUHE

et charitatem, ardentesq preces pro liberatione oppressorum Christi fidelium membrorum ab Antichristiana tyrannide conjungere et unanimiter fundere, omissis omnibus frivolis rixis et novitatibus. Petitionem tuam quod attinet, ut nimirum tibi et Dn: Probstio et conditione aliqua hisce in locis prospicere velim; nosti nimirum ipse et vidisti peregrinos difficile recipi; deprehendi insuper Ecclesias orthodoxas in Helvetia ab hujusmodi novitatibus abhorrere, quapropter obtinendi aliquid, spem ullam mihi facere nequeo. De famulo perquirendo ne amplius sis solicitus, alium namq in ejus locum quem dimisi, nactus sum. Dn: Probstium meo nomine amanter saluta, et quæ scripsi ex amico Christiano animo proficisci credite; Feliciter valete et cum orthodoxa Ecclesia Christianam colite concordiam, nec me cum in posterum de vestris opinionibus literis aliave disputate; animam nameq meum hujusmodi rebus amplius turbare nolo; Deum Opt: Max: orans ut mihi aliisq fidelibus electis gratiam Sp: sui Sancti indies magis magisq largiatur, quo Christum Salvatorem ~~in~~ in doctrina puritate vitæq sanctimonia sequamur, et ex hac miseriarum valle beatum in cælestem gloriam placidi transitum facere possimus. Feurthalio ~~Scaphusianum~~ prope Scaphusium Helvetiorum Cal: Martij Anno 1631.

Tui amans
P. H: Baro Wimenbergicus
Dns Byltenij

Venerabili et erudito Viro Guilhelmo Ditzio, olim Pastori Ecclesiæ in Eydikonen, nunc exuli, amico charo